



QK 1546,75

Nat. # 754



# SACRA SAECVLARIA

OB

# PACEM RELIGIOSAM

QVAM  
DEVS T. O. M.

ECCLESIAE SVAE EVANGELICAE

A. O. S. C I C I LV. A. D. XXV. SEPTEMBRIS

INDVLGENTISSIME DEDIT BIBLIOTHECA  
PIE PONICKAVIANA

# IN AEDE GYMNASII HALENSIS

A. D. XV OCTOBRIS C<sup>o</sup> LCC. IV

OBEVNDA

RITE INDICIT

ATQVE

A. d. Bibliothek  
des Thüring.-Sächs.  
Geschichtsvereins.

OMNES, QVOTQVOT PVRIORIBVS SACRIS

BENE CVPIVNT

OFFICIOSE AC HONORIFICE INVITAT

M. IOANNES PETRVS MILLER

GYMNASI RECTOR.

HALAE MAGDEBURGICAE,

FORMIS SVIS EXSCRIBEBAT IO. IVSTIN. GEBAVER.



romanos, terrarum orbis illos olim dominos, memorat Turnebus in aduersariis, si quid mali reipublicae denuntiatum a poeta quodam aut vate esset, quo id votis deprecarentur suis amolirenturque, hac religiosa formula fuisse vfos: *Dii meliora!* seu vt plenius poeta:  
*Dii meliora ferant, nec sint insomnia vera!*

TIBULLVS III. 4.

Neque enim dubitabant, gratam hanc acceptamque illis fore ciuis boni pietatem: quippe nihil, vt ait Cicero, illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum, iure sociati, quae ciuitates appellantur. Iam, si tantum excitare fiduciae et securitatis de republica potuit in his hominibus supersticio: quanto confidentius optima quaevis atque faustissima precari ad ynum omnes debebimus sacrofanciae **I E S V** **C H R I S T I** ciuitati, cui, quum vix frui pace atque libertate sua cooperat, non defuerunt mali vates, qui, nescio quas rerum vicissitudines et sinistra fata portenderent. Duo de agmine toto, quasi quosdam ὀνειρούλων duces, excitabo: neque enim fas est, infaustis pluribus carminibus publicam turbare diei laetitiam. Prodeat igitur **vnuſ**

vnum ex superiori saeculo fatorum ecclesiae Lutheranae praeannuntius, THOMAS scilicet HENRICI, qui, nescio quo ostento diuinoque augurio monitus praeannuntiauit ante hos C. amplius annos, non facturum esse DEVM, vt sacra sua saecularia Lutherana ecclesia iterum sit repetitura \*). Accipe bona verba, Lector:

Fecere festos verbiolae dies  
 Et Iubilaeum non sine plausibus  
 Passim locorum destinarunt,  
 Qua synagoga viget Lutheri.  
 Atque hic triumphus primitus fuit  
 Post saeculum unum. Dicite aruspices,  
 Quae forma mundi sit futura,  
 Saeculum ubi fuerit secundum,  
 Fuit triumphus primus et ultimus  
 Dicetis. Ergo o! plaudite, plaudite  
 Martiniani, et Iubilo uno  
 Omnia faceti desipientia  
 Congratulari, res ubi postulat  
 Tractare Lesum et luctuosos  
 Verte dies operire nulla.  
 Ceſſate tandem euertere Biblia, et  
 Spirare pleno folle sophismata,  
 Ecclesiæque intaminatos  
 Tollere nequitos honores.  
 Aut facio eodem luce meridiem  
 Priuata, stellasque cripite aetheri:  
 Aut occidentes versus ortum  
 Solis equos cohibete retro.

Sat est per annos dogma Luthericum  
 Stetisse centum, si stetit integrum;  
 Sed centiformes in chimeras  
 Interrea mala ſecta ſecta eft.  
 Si ſic fecari in ſingula ſaecula  
 Pergat; quo hydrae prouenient, vbi  
 Attinget aetatem Beatae  
 Petre tuae Cathedrae coæuam?  
 Luſretur auctor, ſcriptaque poſthuma,  
 Et conferantur priuina posteris,  
 Scopas videbis diſſolutas,  
 Et laceras ſuperere chartas.  
 Martinianus quis fuerit ſcholar  
 Primacium auctor, dicere diſputet.  
 Augufta tandem huius misera eft,  
 Plauſibile imponitque nomen.  
 Sic ſaepē picto vina cado indita,  
 Aut aureata pyxide pharmaca  
 Suspecta fuit: ſic purpurata  
 Deses equus tegitur tapete.  
 Sic ſaepē pulchro nomine ſordidae  
 Venduntur artes: ſic catus initior  
 Pro merce diuendit Chinensi  
 Gofſyptum minio retinacum.

Alter vero tanto minus prudentiorum, etiam de ſuo coetu, repre-  
 hensionem effugiet, quanto hoc apertius infaniuit. Is enim rem post  
 ingens temporis interuallum, atque adeo ſe mortuo, futuram pree-  
 dixit: hic vero eum euentum, cuius ipfe ſpectator, niſi DEO  
 fecus viſum eſſet, foret, cecinit. Is nempe eſt ſacerdos quidam  
 Auguſtanus, qui vltimis effuso in legatos Christi Spiritui ſacris die-  
 bus fore, quaſi ex tripode aiebat, vt vniuersus ciuium in iſta vrbe  
 coetus Pontifici maximo in ditionem ſeſe daturus et in placabilis ma-  
 tris ſinum venia impetrata, recepturus fit. Narratur res, ſi reſte  
 memini, in Actis historico ecclesiasticis, quae Vinariae in lucem  
 eduntur. Vterque vanitatis et mendaciſ ſui conuictus eft vates:  
 hic quidem hoc ipſo anno; ille vero quam egregie falsus fuerit et  
 deceptus dulcedine ſomnii ſui, demonstratum eft communis illa lae-  
 titia, qua A. M DCC XXX. publica priuataque omnia in ecclesia  
 noſtra perfonabant. Iam ſi horum hominum exemplum ſequi atque  
 humanaſ praefagiōnes de futura ciuitatis noſtræ proſperitate oppo-  
 nere

\*) In CHR. AVG. SALIGII Hiſt. der Augſp. Conf. T. I. p. 808.

nere sinistris illis et inimicis vellemus; haberemus, quibus gloriari possemus et hanc paginam exornare, vaticinia. Narrarem homini, qui armis his aduersus Iucis regnum pugnare vellet, somnium MYCONII: pingerem ipsi oblatam per quietem FRIDERICO III. Saxonii, memorabilem speciem Monachi, cuius pennae extremum ita concussit Pontificis Romani tricipitem coronam, ut vacillare illa inceperit. Sed quoniam haec et alia argumenta scio, ad persuadendum minus esse accommodata, veritas autem ex se ipsa satis apta sit, suisque malit defendi praesidiis quam vnde cumque quaefitatis: pauca modo quaedam adferam, quae spem nostram non mediocriter alere et confirmare possunt, fore, ut perenne hoc, quod nunc quidem persentunt omnes, quotquot sacra hac libertate in gremio ecclesiae nostrae fruuntur, gaudium futurum sit, publicaque nostra tranquillitas in imperio Romano numquam sit intermoritura. Neque autem vereor, ne vanum hoc sit augurium, non ex auium volatu, sed ex caelestibus diuinisque signis captum.

Iam, si ecclesiae nostrae cura Regibus tantum aut Principibus tradita esset, neque ipse Deus pro illa excubias ageret, haberemus multa, quae sollicitos nos reddere possent. Neque enim nullum est tam firmum humanum praesidium, quod non vi armorum et maxime dolo, expugnari queat ac vinci. Cui, ut hoc year, ciuium Romanorum, quibus cordi erat patriae fatus, illa Ciceronis ad Caesarem oratio non ingentem sollicitudinem facere debuit: *Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos et incertos euentus valetudinis et naturae communis fragilitatem extimesco: doleo que, cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima confondere. Si vero ad humanos casus incertosque motus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio, quem deum, etiam si cupiat, opitulari posse reip. credamus?* Nos, qui immortalem et ad finem usque terrarum orbis duraturam IESU CHRISTI ciuitatem, promissis ipsius fisi, certo scimus, cum Luthero, heroe, eam non credimus, opus habere, ut aut sapientia Friderici septemuirii Saxonis, aut armis nepotis, defendatur: sed ut CHRISTO eam vnicice, Regi ipsius inuictissimoque imperatori, cuius numine scilicet etiam hic, quantus quantus est, terrarum orbis fulcitur administraturque, diurnis nocturnisque precibus supplices commendemus. Neque vero dubitamus, si hominum aut prudentia, aut etiam fortitudine vti ipsius prouidentiae placuerit, adfuturos, qui aduersarios virtute et constantia facile vincant eorumque opes disiliant. Cui enim alii, nisi tuae erga nos miserios clementiae hoc debemus,

IESV



**I**ESV C H R I S T E, Seruator optime, vt iam per ducentos annos exoptatissima pace ac tranquillitate perfruatur Lutheranus populus, qui ab exiguis natus initis, in tantam ciuium multitudinem excreuit, vt etiam inter exterias gentes sacra nostra florent, vigeant et de auita istarum superstitione triumphos quotidie agant. Quaeque alia, nisi D E I praepotens prouidentia impeditre potuit, quo minus nostra res publica post tot acceptas clades atque calamitates, quibus illa, dum vix nata esset et nondum firmata, concussa vehementissime conquaſtaque fuit, pessum tota daretur? Quid enim? nonne hoc euidens et spirans praepotentis praesidii argumentum est, quod nauicula haec vndique ventorum tempestatumque impetu exagitata atque vexata, salua et integra in portum, ex scopuloſo iſto et pleno tempestatum mari euaserit? Ipsi gubernatores, quibus ſeſe tradiderat, in victoris potestate erant; qui vero confilio, auctoritate, maxime vero efficacissimis precibus suis res noſtras, tamquam alter ille Moses, ſustentabant, viuere inter miseros desierat, translatus in pacis illas glorioſas fedes, acceptoque victoriae et militiae bene administratae inſigni, corona, de omnibus inimicis laetus, et liber triumphabat. Inter reliquos vero, qui tutari defertas res debuiffent, diſſenſiones natae et Iuētuosa diſſidia, quea neceſſe eſt oriri, vbi non eamdem omnes ſequuntur legem, Christi gloriam et ciuium ipsius ſalutem. Ceteri aut metu deterriti, aut suis quiskeſ rebus proſpicere coacti ſunt. Inſirmiores triftia haec fata et victoris ira compulerunt, vt ad eius clementiam conſugerent et arbitrio ipsius ſe et rem cum publicam tum ſacram committerent. Exultabat tum Roma hac victoria, quea natura ſua inſolens eſſe ſolet, atque iam animo et cogitatione praecepit illius diei candidiſſimi laetitiam, quo pertinaciſſimi rebelles revinetis poſt tergum manibus, per dirutos vrbis muros introducerentur, flebilique voce, proſtrati in terram, Pontificis clementiam implorare cogerentur. Inter haec vero quo citius fortiusque proſterneretur execrabilis haereticorum gens, Patres Tridentini fulmina in capita eorum omnium perpetuo vibrabant, quibus I E S V C H R I S T I auctoritas maior ipſorum decretis eſſet. Sed o yanæ hominum ſpes! o incerta iudicia! Is ipſe M A V R I T I V S, in quo omnes ſuas improbas ſpes poſuerant, ſubito mutatur, atque a ſocio et a ſeipſo diſcedit, periclitantique ecclesiae noſtræ auxilia promta et firma fert, pacemque illam et libertatem religiosam impetrat, cuius memoriam iam quidem celebraamus. Poſita ergo ab aduersariis arma ſunt, neque tamen nocendi voluntas. Igitur belli ſibi genus mutandum duxerunt, et aduersus quos arma nihil valere intelligerent, hos dolis et inſidiis frangere conantur. Atque hoc nouum illud eſt periculum,

quod, quo minus vires nostras detriuerit, tua prouidit Seruator bone, sapientia. Vix enim religione iurisurandi et Principum in iure firmata illa pax sanctissime fuerat, quum turbulentum eorum genus hominum, qui praeceptis et vita fidem, simplicitatem et amoris studium ceteris commendare deberent, alta voce clamaret

*Dolor an virtus; quis in hoste requirat?*

Maxime vero praetoriana illa Romani Pontificis cohors, quae sanctissimo Iesu nomine ad impietatem suam tegendam abutitur, Iesuitas intelligo, nulli arti, nullique operae parcerat, quo hoc Principibus persuaderet, nihil esse pestilentius, nihil, quod DEVM magis offendat, quam cum haereticis pacem inire: foedera cum his pangere, proprius ab eorum sacrilegio distare et impietate, qui fidem CHRISTO datam negent et aduersus illum arma hostilia ferant. Quae igitur pax cum ipsa sua natura detestabilis sit, nihil impedire, quo minus datam fidem frangant instauratoque bello aduersarios romanae sedis opprimant. Quod ut efficerent, non sermonibus tantum, verum etiam scriptis libelli plebis leuitatem accendere ad res nouas moliendas conabantur. Pugnabant enim, ut sunt acuti in primis dialectici, partim, vi Principum Catholicorum promissa esse extorta: partim ipsas leges ita iniquas esse, ut dum hae non sublatae sint, stare romana ecclesia non possit. Istud vero in primis ridiculum est, quod aiunt, intercessisse atque vetasse Pontificem Romanum una cum Patribus Tridenti congregatis, quasi vero aut nostri aut ipsorum Principes ipsius voluntate interitum reipublicae stare vellent, neque facile ante iam, quam lata lex ista esset, perspicere potuissent, partum illum probatum iri Pontifici. Quod vero in consulo eo hoc omne negotium tractatum est, iustissime etiam illi fecerunt, quum rerum ciuilium administratio nihil ad eum pertinere ad unum omnes fatentur. At, qui ceteris perspicaciores esse volebant, illa posse religione patitorum colligari obstringique Imperatorem Romanum negabant, superioremque illum esse clamabant omni regula. Quod auctoritatis nullis limitibus circumscriptae monstrum plenitudinem Caesareae potestatis appellant, cuique hanc vim tribuunt, ut omnia facta reuocare possit atque irrita facere \*). Et haberent haec tela haud dubie magnam apud illos vim, qui in fide et ditione Romani Praefulsi sunt, nisi ut praeuisa, ita etiam prouidentia Principum fracta fuissent. Recitatibus vero quaedam verba, Principum utriusque partis, ex ipsa pace, quibus religio illius et auctoritas tamquam pro-

pugna-

\*) v. Praefat. Coleb. K A P T I praefixa libello egregio Frendiges Andenken des Rel. Friedens. Lips. 1754.

pugnaculis quibusdam aduersus omnes impetus hostum atque insidias praemunita fuit. In §. XXVIII. XXIX. et XXX. haec grauissime et sanctissime perscripta sunt:

Vnd soll alles, das in bievorigen Reichsaabschieden, Ordnungen oder sonst begriffen und versehen, so diesem Fried-Stand in allem seinem Begriff, Articeln und Punkten zuwider seyn oder verstanden werden möchte, demselbigen nichts benehmen, derogiren noch abbrechen, auch dagegen keine Declaracion, oder etwas anders, so denselbigen verhindern oder verändern möchte, nicht gegeben, erlangt, noch angenommen, oder ob es schon gegeben, erlangt oder angenommen würde, dannoch von Vnwürden und Unkräften seyn, und darauf weder in- noch außer Rechtens nichts gehandelt oder gesprochen werden. Solches alles und jedes, so obgeschrieben, und in einem jeden Artikel nahmhaftig gemacht, und die Kayserl. Maj. und Uns anrühret, sollen und wollen Ihr Liebd. und Kayserl. Majest. und wir bey Ihren Kayserl. und unsern Königlichen Würden und Worten für uns und unsere Nachkommen, stät, unverbrüchlich und aufrichtig halten und vollziehen, dem strack und unweigerlich nachkommen und geleben und darüber jetzt oder künftiglich weder aus Vollkommenheit, oder unter einigem andern Schein, wie der Nahmen haben möchten, nicht fürnehmen, handeln oder ausgehen lassen, noch jemand andern von Ihrer Liebd. und Kayserl. Maj. und unsirtwegen zu thun gestatten. Vnd wir die verordnete der Churfürsten Raethe, anstatt Ihrer Churfürstl. Gnaden, auch für ihre Nachkommen und Erben, wir die erscheinenden Fürsten, Praelaten, Grafen und Herren, auch der abwesenden Fürsten, Prälaten, Grafen und Herrn, und des heil. Reichs Frey- und Reichs- Städte Gesandte, Botschaften und Gewaltherber anstatt und von wegen unserer Herrschaften und Obern, auch für ihre Nachkommen und Erben willigen und versprechen bey Fürstl. Ehren und Würden in rechten guten Treuen und Glauben, so viel ein jeden betrifft oder betreffen mag, wie allenthalben obsteht, stact, fest, aufrichtig und unverbrüchlich zu halten, und dem getreulich und unweigerlich nachzukommen und zu geleben.

Quae quidem conditiones sponte vtrimeque acceptae atque confignatae si nihil habent, quo fides data sarta testaque praefatri possit, iniuste conquererentur Principes, si a Turcis et item aliis barbaris citra pacis leges nouo bello peterentur. Quare tam diu tuta securique D E V M nostro ex sensu, qui videlicet a Christo nobis datum est, colere poterimus, quoad iuris et aequitatis leges iniulatae in Romano imperio erunt \*).

Quod ut fiat, etiam atque D E V M

sup-

\* Nec desideremus cum damno coelestis veritatis nescio quam cum omni generis hominibus sacram coniunctionem. Legant, qui huic incaute imminent spei, indicium omni laude maius S. V. nostri B A V M G A R T E N I I, in Nachr. von merckw. Bäch. 45. Stück. p. 274. quod qui legent, mecum pro tanti veritatis praesidii incolumitate pia vota omnibus facienda putabunt.

QK 46 3649

VIII

suplices exorabimus, vt Germaniae FRIDERICOS suos, i. e. principes aequissimos et largiri et seruare dignetur. Neque vero est, vt de hac DEI clementia dubitemus, Is ipse enim per vates suos indulgentissime ecclesiae suae declarauit: *Sint Reges nutritii tui, et Principes eorum laetrices tuae: Ies. XLIX. 23.* Iure igitur nostro hac pace, quasi quodam diuini amoris erga Euangelicam ecclesiam pignore et Palladio, *ieq̄ō c̄ydīn̄pari*, laetamur, de qua nimur illa Prudenti verissime dici possunt:

*Pax plenum virtutis opus: pax summa laborum;*

*Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli,*

*Sidera pace vigent, considunt terrea pace,*

*Nil placitum sine pace Deo.*

Vt vero tanti beneficij memoria tanto diutius inter nos seruetur, pietatis suae putauerunt Patres huius ciuitatis atque Gymnassi, prouidere, vt sollemnitate quadam animis nostrorum infigeretur, atque etiam hoc scientiarum et pietatis sacrarum diuinis laudibus personaret, quemadmodum templa nostra hymnis atque precibus paucis ante diebus. Serius id quidem fit: at, quae satis longa et diurna tanti munera celebratio esse potest: quum ipsi D E O quocunque tempore oblata pie et caste sacrificia grata sint atque accepta? Dicatus est huic sollemnitiati dies crastinus, quo ab hor. II. pomerid. in aede Gymnasi mea primum oratio, eademque vernacula in eo versabitur, vt, quo nomine *PAX RELIGIOSA*, coelo demissum hoc munus, maxime cara nobis omnibus esse suo iure et merito debeat, quantum potero, doceam. Iunget operam vnum ex carissimis collegis, qui quarto Gymnasi ordini datus nuper moderator fuit, scilicet IO. ANDREAS FISCHER, V. CL. oratione latina, vt solet, copiose ornateque laetiorem post pacem religionis elegantioris doctrinae faciem descripturus. Quam quidem caram D E O et coelestibus animis omnibus sollemnitatem, vt honorifica sua praefentia exornare haud grauentur quotquot OPTIMI AMANTISSIMI QVE SERVATORIS reipublicae salutem, suam esse putant, non quod opus sit, sed quia mos id et obseruantia iubent, decenter et enixius rogitanus, P.P. HALAE MAGDEB. A.O.R.S.

clo l. v. a. d. xiv. Octobris.

EGMONT  
EGMONT  
EGMONT

Pon Yb 3649 c, DK




long





### Farbkarte #13



K 1546, 75  
Nat. # 734  
**SACRA SAECVLARIA**  
OB  
**PACEM RELIGIOSAM**

Q V A M

D E V S T . O . M .

E C C L E S I A E S V A E E V A N G E L I C A E

A . O . S . C I C I L V . A . D . X X V . S E P T E M B R I S

I N D V L G E N T I S S I M E D E D I T      B I B L I O T H E C A  
P I E      P O N I C K A V A N A

N A E D E G Y M N A S I I H A L E N S I S

A . D . X V O C T O B R I S      C I C I L V

O B E V N D A

R I T E I N D I C I T

A T Q V E

A. d. Bibliothek  
des Thüring.-Sächs.  
Geschichtsvereins.

M N E S , Q V O T Q V O T P V R I O R I B V S S A C R I S

B E N E C V P I V N T

O F F I C I O S E A C H O N O R I F I C E I N V I T A T

M . I O A N N E S P E T R V S M I L L E R

G Y M N A S I I R E C T O R .

1893/4/6/2382

H A L A E M A G D E B U R G I C A E ,

F O R M I S S V I S E X S C R I B E B A T I O . I V S T I N . G E B A V E R .

Pb  
3649c

THÜRINGER  
BIBLIOTHEK  
SACHSEN-ANHALT  
GOETHE-UNIVERSITÄT  
WEIMAR